# FRANCISCUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri **Danieli Eduardo Thomas**, hactenus Episcopo titulo Bardensi et Auxiliari archidioecesis Philadelphiensis Latinorum, electo Episcopo dioecesis Toletanae in America, salutem et Apostolicam Benedictionem. Vitri insignem urbem, dioecesis Toletanae in America a Nostro Praedecessore Sancto Pio X sedem constitutam, non sine paterno amore respicimus, quandoquidem eius sacrorum Antistitem, pro Venerabili Fratre Leonardo Paulum Blair, Archiepiscopo Metropolita Hartfortiensi designato, sine cunctatione substituere properamus. Qua de re ad te, Venerabilis Frater, episcopalium operum praeditum experientia, fidenter decurrimus, qui Nobis idoneus visus es ad isti dominico gregi opem praestandam et validum adiumentum conferendum. Suscepta ideo sententia Congregationis pro Episcopis, ad quam non immemores sumus te magnam operam tria per lustra contulisse, ex Apostolicae potestatis plenitudine te liberamus vinculo Ecclesiae titulo Bardensis teque Episcopum Ecclesiae **Toletanae in America** nominamus et instituimus, tibique una tribuimus cuncta iura et officia etiam imponimus, quae cum eodem hoc mandato copulantur. Optamus insuper ut clerus et populus eiusdem dioecesis Toletanae in America hoc Nostrum decretum et consilium cognoscant teque suum Pastorem et veritatis custodem libenti animo accipiant. Tui autem erit christifideles tuae commissos omni cum longanimitate morumque suavitate docere. Haec tibi scribentes te, Venerabilis Frater, adhortamur ut quem videbat Thomas, tuo demonstres gregi; quem tangebat ille, eo istum nutrias; quem ille confessus est Deum, tu ipse, omni remota dubitatione, Dominum omnium misericordiarum ei confitearis et praedicas - cfr Io 20,28 -. Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo sexto mensis Augusti, anno Domini bis millesimo quarto decimo, Pontificatus Nostri secundo.

Franciscus



Marcellus Rossetti, protonot. apost.